

nu prophetæ ut illa utatur quando voluerit, quia non per modum habitus, sed actualis concursus datur.

XV. Denique, quia si gratia sacramentalis in solo actuali concursu consistit, non poterit effective procedere a sacramentis, quia concursus actualis est actio Dei, quæ non attingitur ab illo instrumento: ergo ut gratia sacramentalis sit effectus sacramenti, oportet quod aliquid intrinsecum et permanens ponat in homine.

XVI. Quod autem gratia sacramentalis non addat novum realiter distinctum super gratiam sanctificantem, et virtutum ac donorum, probatur primo, quia gratia sacramentalis nec ordinatur ad effectus realiter distinctos ab effectibus virtutum et donorum; nec ad reparandos defectus, quos reparat, indiget distincto habitu a gratia sanctificante; ut, verbi gratia, confirmatio habet pro effectu robustam confessionem fidei sine erubescencia nominis Christi; qui actus substantialiter est fidei: ergo non indiget ad hoc novo et distincto habitu. Item defectus, quem tollit pœnitentia sanando, aut baptismus regenerando, aut extrema unctio alleviando, substantialiter fit per habitum gratiæ; non ergo indiget novo habitu ad sanandum, vel alleviandum. Similiter debita executio ordinum est actus religionis supernaturalis intendentis cultum Dei.

XVII. Secundo, quia si gratia sacramentalis esset diversus habitus realiter a gratia sanctificante, et virtutibus ac donis, esset æquivoce gratia, ut argumentatur S. Thomas in tertio argumento articuli, quia omnis additio, vel subtractio in formis variat speciem; quanto magis si est habitus diversus entitative, nam ille habitus vel esset ejusdem speciei cum gratia sanctificante,

vel virtutibus et donis, vel esset alterius speciei: si ejusdem, superflue poneretur in subjecto, essentque duo accidentia ejusdem speciei in illo: si diversæ: ergo cum gratia sacramentalis de se ordinetur ad sanctificandum hominem, et non sit gratia gratis data, sed gratia quæ opponitur culpæ et peccato, daretur gratia sanctificans diversæ speciei, quod est impossibile, cum gratia sanctificans sit participatio divini esse univoca, quæ consequenter debet esse una, et unius speciei, sicut et ipsum divinum esse unum est; vel saltem esset assignandus aliquis actus, ad quem per se ordinaretur habitus ille sacramentalis gratiæ; qui dari non potest, cum omnis actus, qui a sacramentali gratia fit, non sit realiter et substantialiter diversus a virtutibus supernaturalibus, aut donis.

XVIII. Denique, quia alias per quod libet sacramentum infunderetur duplex habitus gratiæ contra peccatum: alter, scilicet gratiæ sanctificantis, qui communiter per omnia sacramenta infunditur; alter sacramentalis gratiæ, qui esset realiter diversus a gratia sanctificante; hoc autem falsum est: ergo. Et Thomas clare tenet, quod non sit habitus diversus; tum, quia dicit quod: « Addit auxilium divinum super gratiam virtutum et donorum; » auxilium autem divinum non est habitus realiter diversus; tum, quia in solutione ad tertium dicit: « Quod se habet gratia sacramentalis ad gratiam communiter dictam, sicut species ad genus; » constat autem quod species substantialiter includit naturam generis; gratia ergo sacramentalis non potest esse realitas distincta a gratia communi: sic enim non se haberet ut species ad ipsam.

XIX. Nec potest dici, quod gratia sanctificans sit vere et essentialiter genus metaphysicum gratiæ sacra-

mentalibus; sic enim ex gratia sanctificante et gratia sacramentali fieret unus habitus essentialiter, sicut ex genere et differentia fit unum, cum tamen gratia sanctificans sit unius speciei atomæ: ergo quod se habeat sicut species ad genus, ne dicatur æquivoce gratia, est quia non addit realem et diversum habitum supra gratiam sanctificantem, sed substantialiter est gratia sanctificans, aut virtutum, cum nova formalitate et modo.

XX. Et si inquiras, in quo consistit iste modus et formalitas, respondetur consistere in quadam derivatione et imitatione gratiæ Christi, seu perfectionis, quæ est in Christo, in quantum sumus membra ejus. Sumitur ex D. Thoma hic in corpore, ubi dicit: « Esse specialem effectum sacramentalem, quatenus homo fit membrum Christi. » Per sacramenta enim communicamus ei, et passioni ac gratiæ ejus, tamquam membra viventia in spiritu Christi; gratia autem Christi Domini in hoc elevatur supra quaecumque gratiam, quia potest in omnes effectus possibles gratiæ, ut sæpe docet S. Thomas. Potest autem hoc non per gratiam alterius speciei a nostra, sed per perfectionem et formalitatem, ac modum habendi diversum a nostra. Hic igitur modus et perfectio, quæ in Christo est secundum plenitudinem ad omnes modos et effectus gratiæ, per sacramenta derivatur ad determinatos quosdam modos et perfectiones, quibus speciales effectus gratiæ producit.

XXI. Hic vero modus gratiæ animæ Christi, non est aliud, quam quod gratia Christi se habeat in eo ut propria passio, et ad modum potentiæ connaturalis (sicut calor in igne habet modum potentiæ naturalis) et ulterius ex eo quod conjungitur Verbo divino habet rationem universalis principii ad omnes effectus

gratiæ possibles, quia ex hoc dicitur gratia illa plena, non solum quantum exigit subjectum, sed quantum ratio gratiæ potest, esto in intentione infinita non sit. Ex his ergo duabus perfectionibus gratiæ Christi, habent derivari et communicari gratiæ sacramentorum, quatenus ordinantur ad hoc ut homines faciant membra Christi, secundum distinctionem et varietatem membrorum. Habet, inquam, derivari perfectio quædam ac formalitas qua veluti trahitur gratia membrorum ad participandum de gratia capitis, non solum in ipsa substantia gratiæ, sed etiam in perfectione, quam potest defectus aliquos peccati perfectius extinguere, et potest in aliquos effectus perfectius operari ex conjunctione cum gratia Christi habendo se per modum potentiæ, sicut gratia Christi modum potentiæ habet, licet non in illa perfectione, qua Christus, sed quasi reductive ad illum; et ita potest quis ex peculiari modo subordinationis et derivationis a gratia Christi per sacramentum confirmationis, verbi gratia, confiteri firmiter et sine erubescencia nomen Christi, quam alius cum magna intentione habens fidem, quia ille veluti ex connaturalitate ad Christum, et conjunctione confitetur ipsum; iste vero ex credulitate, et contentione credendi in Christum.

XXII. Similiter ex eo quod Christus est universale principium ad omnes effectus et modos gratiæ, habet per distincta sacramenta imprimere in membra sua peculiare modos et effectus, quibus speciales defectus peccati tollantur, et qui ad speciales effectus gratiæ ordinantur. Et sicut lux solis, et lux lunæ aut ignis, aut alterius astri sunt ejusdem speciei; nihilominus tamen aliam perfectionem induit lux proveniens a sole in aere, vel in

elementa, quam lux lunæ, vel ignis; sic gratia derivata per Christum alium modum et perfectionem habet participare ad tollendos defectus peccati, et specialiter operandos effectus gratiæ, quam gratia quæ non venit per Christum secundum realem ejus influxum per sacramenta, sive ille modus ponat gratiam reductive ad aliam speciem qualitatis, verbi gratia, potentiæ naturalis, sive intra eamdem speciem communicetur; sicut lux in aere derivata a sole alium modum et perfectionem habet, intra eamdem tamen speciem lucis, non ad aliam speciem qualitatis transeundo.

XXIII. Vel dicendum, quod inducit modum alterius speciei qualitatis, et si non alterius speciei gratiæ, in esse et ratione gratiæ, sed alium accidentalem modum. Et sicut sapientia, quæ est donum; et sapientia, quæ est disciplina, distinguuntur, quia donum ex connaturalitate et sapore ad res divinas cognoscit, disciplina vero ex discursu circa easdem res divinas, sic suo modo, confiteri fidem ex connaturalitate et conjunctione ad Christum per sacramentum confirmationis, differt a modo confitendi fidem ex intentione fidei, licet substantialiter sit idem actus. Et similiter nutritio charitatis per conjunctionem cum ipso Christo Domino per manducationem, aut nutritio charitatis per actus fervorosos, licet substantialiter sint idem, tamen in modo differunt, ut datur per eucharistiam, aut sine illa; et sic de reliquis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIV. Sed objicies primo: Nam D. Thomas dicit hic, quod: « Gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter acceptam auxilium divinum ad speciales effectus, sicut virtutes ac dona addunt super

gratiam sanctificantem perfectionem ad determinatos effectus; » sed auxilium divinum non est perfectio habitualis: ergo sacramentalis gratia non addit perfectionem, seu modum permanentem intrinsece in anima.

XXV. Confirmatur, quia gratia sacramentalis, ex eo quod sacramentalis, non habet effectum aliquem intrinsecum et permanentem diversum ab eo quem habet gratia sanctificans, et gratia virtutum ac donorum: ergo non est necesse quod addat aliquid intrinsecum et permanens in ipsa anima. Consequentia patet, quia ubi non est diversus effectus, aut distincta perfectio, non est ponendum diversum principium ad talem effectum. Antecedens vero probatur, nam effectus quem facit gratia sacramentalis confirmationis est actus fidei, seu confessio ejus illi eliciendum non requiritur firma et sine erubescencia, actus autem hic non est alius actus, quam fidei: ergo ad aliquid intrinsecum præter habitum fidei.

XXVI. Nec dici potest, quod ad novum modum ac peculiarem, qui invenitur in confessione illa fidei, requiritur gratia sacramentalis. Primo quidem, quia multi sine sacramento confirmationis æque fortiter, aut fortius quam confirmati, fidem confessi sunt; ut patet de Macchabæis, et de multis aliis martyribus etiam nondum baptizatis: secundo, quia non ad quemlibet modum quo actus aliquis producitur necessarium est ponere principium intrinsecum permanens operativum talis modi, sed sufficit divinum auxilium actuale cum habitu supernaturali, etiam remisso, sicut cum divino auxilio fortiori potest quis elicere vehementiorem et intensiorem actum, etiamsi habeat habitum minus intensum: ergo similiter quemlibet alium modum potest quis cum

auxilio actuali, et habitu gratiæ ac virtutum elicere, sine superaddita perfectione intrinseca.

XXVII. Respondetur, quod per auxilium divinum intelligitur confortatio quædam divina, sicut confortatur principium inferius ex continentia ad principium superius. Et hoc modo homo quatenus fit membrum Christi per sacramenta, confortatur et firmatur ad aliquid faciendum, quod non haberet sine sacramento; et hoc vocatur auxilium; quod quidem est diversum specie in uno et in alio sacramento. Et ut jam dictum est, S. Thomas per auxilium divinum non intelligit quod pure est concursus actualis, sed aliquid etiam permanentemente receptum in homine; quod quia non ordinatur ad actus entitative distinctos, nec datur ut habitus substantialiter et entitative acceptus, ideo dicitur a D. Thoma esse auxilium divinum: sicut in donis Spiritus sancti, quia dantur ad hoc ut homo de facili sit mobilis et obediens impulsui Spiritus sancti ad altiora ipsum moventis, dicitur homo moveri ex motione Spiritus sancti, et tamen operatur per aliquid sibi intrinsecum, scilicet per donum quod est habitus in eo receptus: ita qui operatur ex gratia sacramentali dicitur operari ex auxilio divino, et gratia sacramentalis dicitur addere auxilium, divinum, non quia non ponat aliquid intrinsecum in anima, ut essentialiter quis operetur effectus sacramentales, et removeantur intrinsece defectus peccati, sed quia id fit ex peculiari participatione et derivatione a Christo, et ex peculiari connotatione ad auxilium Dei, ut fiant tales effectus.

XXVIII. Itaque per ly auxilium divinum totum hoc intelligit S. Thomas, videlicet et perfectionem aliquam ex communicatione cum gratia Christi, et divinum concursum

ad specialiter faciendos illos effectus, qui sit veluti connaturalis, et proportionatus homini sic communicanti per sacramentum cum gratia Christi. Si autem alteri detur similis concursus extra sacramenta, non datur veluti connaturaliter et proportionate. Unde qui non confirmatus confitetur fidem firmiter, et sine erubescencia, non id facit ex officio, et veluti connaturaliter, sed quasi extra regulam.

XXIX. Ad confirmationem respondetur, quod effectus aliqui sacramentales non distinguuntur entitative et substantialiter ab actibus virtutum et donorum, et ideo neque gratia sacramentalis dicitur habitum entitative et realiter distinctum, sed solum modaliter. Ad primam replicam contra hoc respondetur, quod multi non confirmati fidem fortiter confessi sunt, id tamen ex speciali Dei benignitate, quæ sacramentis non alligavit suam virtutem. Hoc tamen non tollit, quin hic sit specialis effectus sacramenti. Sicut amor mutuus inter conjuges sine sacramento matrimonii in multis invenitur, non tamen per hoc tollitur quin sit effectus ejus specialis, et sic de aliis dici potest.

XXX. Secundo tamen dicitur, et melius, quod confiteri fidem veluti ex officio et sacramentaliter, et ex conjunctione quadam et connaturalitate ad Christum et participatione ejus gratiæ, non invenitur extra sacramentum confirmationis; invenitur tamen confiteri fidem intense et fortiter, vel ex intensione majori habitus fidei, vel ex peculiari Dei auxilio, non tamen ex sacramentali conjunctione ad Christum. Et similiter amor mutuus inter conjuges, quasi ex naturali amicitia et conjunctione extra sacramentum matrimonii invenitur, non tamen amor mutuus sacramentalis ex conformitate ad Christum cum Ecclesia, etc.

XXXI. Ad secundam replicam respondetur, quod quando modus procedendi ad actum refunditur in principium operans, et supponit ipsum perfectum, indiget non solum actuali concursu, sed etiam aliquo permanenti superaddito, verbi gratia, ut faciat aliquem effectum ex officio et ex connaturalitate et conjunctione ad aliud principium; tunc oportet non solum actuale auxilium et concursum superaddere, sed etiam perfectionem aliquam intrinsecam et permanentem; operari autem intensive aut fortius, cum sit operari ex majori conatu, non supponit modum perfectionis in principio operante, sed conatum fortio-rem; conatus autem actuale quid dicit, et non permanens et intrinsecum.

XXXII. Secundo arguitur: Ex eo quod gratia sacramentalis se extendat ad plures effectus quam gratia communiter dicta, non indiget nova perfectione sibi intrinsece addita: ergo non est cur ponatur distincta perfectio, sed sufficit aliquid actuale. Antecedens probatur, nam justitia originalis erat idem cum gratia gratum faciente, ut constat ex prima parte, quæst. xcv, art. 1, et tamen plures effectus habebat illa justitia originalis, quam sola gratia, ut patet: ergo.

XXXIII. Confirmatur: Impossibile est quod id quod addit gratia sacramentalis supra gratiam communiter dictam, sit aliquid specie distinctum in ratione gratiæ aut qualitatis: ergo impossibile est quod sit intrinsece et permanentiter superadditum gratiæ. Consequentia patet, quia non potest esse aliquid solo numero distinctum, alias essent duo accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto. Antecedens vero probatur, nam in ratione gratiæ non potest gratia sacramentalis esse diversæ speciei, cum gratia gratum faciens

sit una in specie atoma; in ratione etiam qualitatis non potest esse diversæ speciei; quæ enim differunt specie, differunt etiam numero, et sic gratiæ sacramentales essent realiter distinctæ ut res a re.

XXXIV. Nec dici potest, quod sit eadem gratia cum distinctis formalitatibus. Contra hoc enim est primo, quia tunc eadem qualitas transiret de specie ad speciem, gratia enim sine illo modo esset in specie habitus, et cum modo sacramentali transiret ad speciem potentiæ; et similiter fortitudo infusa secundum rationem virtutis esset in una specie, et secundum gratuitum donum sacramentale esset in alia.

XXXV. Secundo, quia gratia quæ derivatur a Christo per sacramenta non potest participare modum quo gratia est in Christo, quando enim aliqua qualitas inest alicui agenti non solum in ratione passibilis qualitatis, sed etiam naturalis potentiæ, non communicatur alteri subjecto in ratione naturalis potentiæ, sed in ratione solum passibilis qualitatis; sicut calor ignis communicatur aquæ, ut passibilis qualitas, et non ut naturalis potentia: ergo gratiæ Christi, quæ in illo habet rationem propriæ passionis et naturalis potentiæ, non potest istum modum communicare per sacramenta.

XXXVI. Nec potest dici, quod communicat illum imperfecte, et quasi instrumentaliter, nam si illa gratia communicatur ut virtus instrumentaria, per illam homo solum aget instrumentaliter, quod tamen est impossibile; cum actus qui eliciuntur a gratia sacramentali sint vitales, qui proinde non habent pro principio instrumentalem virtutem.

XXXVII. Respondetur ad principale argumentum, negando antecedens. Ad probationem dicitur, quod ut colligi potest ex D. Thoma in II,

distinct. xx, quæst. II, art. III, justitia originalis condistinguitur contra gratiam gratum facientem, et aliquam perfectionem addit super eam quam modo non habet. Unde in prima parte, quæst. c, art. 1 ad secundum dicit: « Quod radix originalis justitiæ est ex subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ fit per gratiam gratum facientem. » Si autem radix ejus est, aliquid formaliter est justitia originalis diversum a gratia gratum faciente. Unde ordinatio illa est subjectio inferiorum virium ad rationem, et perfectionem aliquam superadditam ponebat in gratia; quare justitia originalis radicaliter non distinguebatur a gratia gratum faciente, formaliter vero distinguebatur, et superaddebat ei, cum diversum effectum haberet per modum permanentis. Unde et peccatum originale pro formali habet destructionem et defectum justitiæ originalis, quantum ad ejus radicem, scilicet gratiam; pro materiali autem habet inordinationem passionum et inferiorum virium ad superiora; quæ est materialiter concupiscentia effrænata; et importat habitum seu dispositionem positivam inordinatam talium virium, ut S. Thomas late explicat I-2, quæst. LXXXII, art. I et III.

XXXVIII. Ad confirmationem respondetur, quod gratia sacramentalis addit aliquid specie distinctum ad gratiam communiter dictam, quæ respectu gratiæ est species accidentalis; in ratione vero sacramentalis gratiæ est diversa essentialiter, sicut albedo et nigredo sunt species accidentales hominis, et essentielles qualitatis; et in hoc sensu dicitur a D. Thoma, quod se habet gratia sacramentalis ad gratiam communiter dictam sicut species ad genus, id est, sicut species accidentalis, seu modalis, quæ includit entitatem generis, et addit aliquid formaliter

distinctum. Ad probationem antecedentis dicitur, quod quæ differunt specie differunt numero, si differunt specie essentiali et perfecta, aut etiam substantiali vel entitativa, quæ autem differunt specie modali aut accidentali, non differunt etiam numero, quæ est differentia entitativa et realis, vel etiam differunt numero ut modus, non ut res, et modus non ejusdem speciei, sed diversæ.

XXXIX. Ad primam replicam contra hoc respondetur, quod eadem qualitas pertinet ad duplicem speciem, non entitative, sed formaliter, seu modaliter: imo non est inconueniens, quod idem secundum diversas rationes pertineat ad distinctas species, sicut et ad distincta prædicamenta; quare non transit eadem qualitas de specie ad speciem entitative et realiter, sed accidentaliter et formaliter; bene enim potest dispositio habere modum habitus et e contra; et similiter habitus habere modum potentiæ aut passibilis qualitatis, licet entitative non sit potentia aut passibilis qualitas, sed dispositio aut habitus; et e contra in his qualitatibus est invenire quod una induit modum alterius, etsi entitative non sit ipsa; hoc tamen per aliquid sibi adjunctum et intrinsecum, et sic est in præsentibus de gratia secundum se, et ut sacramentalis.

XL. Ad secundam replicam dicitur, quod qualitas quæ est in agente secundum rationem propriæ passionis, aut naturalis potentiæ, non potest communicari alteri subjecto secundum eundem modum univoce et perfecte; bene tamen imitative et imperfecte, et non solum instrumentaliter. Gratia enim sacramentalis in nobis, non est virtus instrumentaria, nec inchoata, ut character (sic enim esset potentia, et non daretur ad bene operandum) nec